

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

257
tibi, o mi Deus perpetuo adhaeream, si tecum esse sem-
per desiderem; cum enim sis Summe Sanctus et per-
fectus, non poteris non reddere Sanctam et perfectam
animam meam tuam praesentiam jugiter requirentem;
et inde fiet, ut verè Sanctum sis Templum tuum; quod
est cor meum: et mirabile in aequitate. Volo igitur,
o amor meus, totus in te occupari, tecum semper
conversari, tua familiaritate frui, verbo, in te vi-
vere, in te quiescere, et nunquam separari à te.

ps. 64.

O quam felix, qui te semper querit, felicior, qui
te possidet, felicissimus, qui in hac possessione per-
severat, et moritur.

Caput XXVIII

Aspirationes ad Deum ob eius pulchritudinem.

Quid est o Domine Deus, quod magis amorem nos-
trum sibi vendicat, quam pulchritudo? Ea certe blan-
da vi nostris dominatur cordibus; non enim possumus
non amare, quod pulchrum est. Imò in tantum crea-
ta pulchritudo multis amabilis videtur, ut propter eam
fruentiam saepius sensum ac rationis usum amittant.
Si hoc potest formositas cuiusdam exigua creatura, quid
non poterit pulchritudo tua Domine Deus? quomodo
totum cor nostrum ad se non rapere sufficiat? cum
sit summa, et immensa, cui proinde omnis creata pul-
chritudo comparata tanquam mera turpitudine, et de-
formitas reputari debet. O pulchritudo Dei mei in-
effabilis, quid est, quod non diligam te? quam
causa mei erga te languoris? non alia sane, nisi
quia non vides te. Aperi igitur oculos meos, ut
cognoscam, quam amabilis, quam desiderabilis sis,

Ó Domine Deus! Ó lux gratissima, illucesce anima mea, exuite tenebras mentis meae, ut videam admirabilem pulchritudinem tuam, atq; omnia despiciens visibilia, te solum diligam.

7. Licet Ó Domine Deus necdum videam decorum Maiestatis tuae, credo tamen, te omniū, quae excogitari possunt, pulcherrimum, cum sis fons omnis pulchritudinis; quidquid enim elegantiae in floribus, quidquid venustatis in campis et Sylvis, quidquid splendoris in astris, quidquid formositatis in hominibus, quidquid pulchritudinis in Angelis, quidquid deniq; decoris ac amantissimis in omnibus prorsus creaturis reperire est, id omne a te dimanat; atq; adeo longe eminentius in te invenitur. Ó amabilissime Deus, quantum a vero deviant, qui solis corporibus, non autem spiritibus, in se pulchritudinem arbitrantur; sicut enim Spiritus super omnem modum corpora superant nobilitate, sic et pulchritudine; unde dulcissime Deus tanta, et talis, tamque perfecta est pulchritudo tua, ut licet de ea tot gradus cogitem, quot sunt guttula aut arenula in mari, nihil de ea cogitasse existimem; est enim infinita. Proh! quid non oportet, me agere, quid non pati, ut tandem tantā pulchritudine potiar? Ignis, crux, bestiae, confractio ossium, et omnia tormenta, diaboli in me veniant, tantum Deo meo fruar.

3 Tanta igitur ac tam magna tamque admiranda est pulchritudo tua Dñe Deus, ut in ejus visione, et fruitione omnium sanctorum beatitudo consistat, quō fit, ut ii per totam aeternitatem neuno quidem momento ab ejus contemplatione desistant. Res sane miranda! quam enim in rebus creatis pulchritudo, quam si assidue intueamur, nobis tandem non vilescat? Tu verò Ó Dñe

Deus, licet in aeternum beati te contemplaturi sint, nunquam tamen eis minus delectabilis, aut minus amabilis apparebis, quippe qui semper mirabilia ac summe delectabilia in te intuebuntur, quam ob causam corda ac desideria eorum jugiter ad te attrahes, ac inseparabiliter tibi agglutinabis. O pulchritudo incomprehensibilis, cujus visione et ipse Deus beatus est. O pulchritudo tam antiqua, et tam nova, ad te iam anhelat anima mea.

O Domine Deus tu es totus pulchior et plenus ineffabilibus deliciis! Cur igitur te non semper desidero? cur te non semper ambio? Quae alii, ament alii, quae sunt pulchra in rebus creatis, ego autem te solum pulchrum, ac proinde unice amabilem amabo in aeternum.

Caput XXIX

Aspirationes ad Deum ob eius Sapientiam.

Domine Deus, si regina Saba Sapientiam Salomonis in tantum admirata est, ut non haberet ultra spiritum 3 reg. 10 qui ego non admirer Sapientiam tuam, qua in immensum Sapientiam Salomonis superat; video enim, omne huius regis Sapientiam non esse nisi veluti guttulam ab immenso Sapientia tua pelago promanantem. Tanta enim et talis est Sapientia ac Scientia tua, o Domine Deus, ut quidquid a te per totam aeternitatem ordinari, et statui, aut etiam excogitari potest, momento perspicue cognoscas; omnes namque res sive praeterita, sive praesentes, sive futura sive etiam possibili in conspectu tuo sunt posita, nec est quidquam quod te latere valeat. Quidni iam summe ecultem quod tantum habeam Dominum, cui nuda et aperta sunt omnia, qui nec fallere, nec falli potest!